



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. V. An Deus possit videri oculo corporeo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

babilius præter tres substantias relativas detur quarta absoluta, virtualiter etiam identificata essentia: adeoque per visionem DEI unius videtur bonum infinitum subsistens, quo viso non esset, quod quis amplius videre cuperet, præsertim si de ejus communicabilitate nil cognosceret: tunc enim non amplius distingueret essentiam à Persona: qua ratione tamen non deberet habere positivum errorem, sed tantum negationem plenioris scientiæ, quæ non repugnat invidente DEUM. Utraque responsio, seu quam Salas, seu quam Gormaz dat, satisfacit objectioni: secunda tamen est generosior.

213. Dices 1. Visio beatifica debet videre DEUM, sicuti est, ex illo 1. *Joan. 3. v. 2. Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*: ergo debet DEUM videre ut Trinum. Resp. dist. ant. visio, quæ nunc datur in Beatis, conc. ant. quæ tantum possibilis est. neg. ant. & conf. De illa loquitur S. Joannes, non de alia tantum possibili. Resp. 2. dist. ant. debet videre DEUM, sicuti est, hoc est, omni modo, quo est, & quoad omnes proprietates. neg. ant. aliquo modo, scilicet quoad essentiam, & simul non debet videre aliter, quàm est, affingendo ei aliquid. conc. ant. & neg. conf. Cur adversarii non dicunt, quod visio DEUM debeat videre quoad omnia prædicata etiam secundaria?

214. Dices 2. Hac ratione posset dari visio intuitiva DEI, quæ DEUM non discerneret ab omni creatura, qualem videtur admittere Ariana: sed hoc est absurdum: ergo. Resp. neg. ma. Visio intuitiva non quidem debet objectum suum discernere à prorsus omni alio: debet tamen discernere nimum inter se dissimilia. Sicut visio ocularis intuitiva potest esse talis, ut non discernat canem, & lupum, attamen debet discernere altissimum montem, & murem. Et tamen DEUS & creatura adhuc infinite magis distant. Dices 3. Appetitus gratiæ (quæ est semen gloriæ) in ordine ad beatitudinem non satisfiat per illam cognitionem: ergo nec appetitus intellectus. Resp. dist. ant. appetitus gratiæ in ordine ad beatitudinem essentialem. neg. ant. in ordine ad beatitudinem integram, om. ant. & neg. conf. Gratia est semen gloriæ etiam accidentaliter: imò juxta multos etiam appetit dotes corporis gloriosi, quæ certò non sunt de essentia beatitudinis.

215. Ob. 7. DEUS ut Unus non est objectum beatitudinis suæ, sed ut Trinus: & Relationes Divinæ sunt objectum primum beatitudinis Divinæ: ergo etiam pertinent ad objectum beatitudinis nostræ, quæ est participatio Divinæ. Resp. 1. me jam dixisse ex Salas n. 211. visionem DEI ut Unius non necessario debere defendi tanquam beatificam. Resp. 2. om. ant. neg. conf. Nostra beatitudo non est participatio Divinæ quoad omnia. Sic etiam DEUS non potest se amare tantum ut Unum: & tamen potest ut Unus amari ab hominibus, & ab innumeris ita fuit amatus, præsertim in antiquo testamento, ubi mysterium SS. Trinitatis paucis fuit notum.

216. Respondent aliqui 3. neg. ant. Non omnia, quæ DEUS necessario cognoscit, sunt objectum essentialiter requisitum ad ejus beatitudinem; nam etiam necessario cognoscit creatu-

ras possibles. Unde dicunt, Relationes esse tantum proprietates objecti primarii beatitudinis Divinæ: & verum quidem esse, quod DEUS sine cognitione Relationum non esset beatus arguitur: sicut si non cognosceret creaturas possibles; quia non cognosceret comprehensive (qualis cognitio necessaria est ad beatitudinem DEI) naturam exigentem has Relationes, & essentialiter connexam cum possibilitate creaturarum: at non esse verum, quod formaliter non esset beatus ob non cognititas Relationes.

ARTICULUS V.

An DEUS possit videri oculo corporeo.

217. Dico. DEUS nec naturaliter, nec supernaturaliter potest in se videri oculo corporeo. ita communissima cum SS. Ambrosio, Hieronymo, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, quos citat S. Augustinus *epist. iii.* quibusque ipse, quamvis non omnino firmissimè, consentit: item cum S. Thoma 1. p. q. 12. a. 3. Prob. Videre DEUM est non tantum producere ejus visionem (nam etiam lumen gloriæ concurret ad productionem visionis DEI, quin eum videat) sed est speciali modo, seu vitaliter DEUM percipere: atqui oculus corporeus, tanquam potentia materialis, non potest vitaliter percipere Deum, utpote objectum pure spirituale: ergo. min. est communissima; quia objectum spirituale est extra totam spheram attingibilitatis, seu perceptibilitatis potentia materialis: & potentia materialis ad objectum spirituale se habet ut sonus ad potentiam visivam, vel color ad potentiam auditivam: certè non potest ostendi major improporatio inter ista, quàm inter illa: interim clarum est, sonum non posse videri, nec colorem audiri.

218. Confirm. Oculi hominum non sunt meliores oculis brutorum (nam quod illi informantur anima rationali, non facit eos melius sensitivè videre: multa enim bruta melius vident, quàm homines: nec ex eo, quod homo simul possit intelligere, infertur, quod etiam possit perspicacius videre) sed oculi brutorum neque supernaturaliter possunt DEUM videre: ergo nec oculi hominum. min. negari non potest, nisi quis velit admittere, quod bruta quoque possint supernaturaliter elevari ad Deum amandum amore beatifico, adeoque ad fruendum tota beatitudine creaturæ rationalis; neque enim est major improporatio inter appetitum sensitivum, & DEUM amandum, quàm inter visum sensitivum, & DEUM videndum. Imò etiam debet admitteri, quod bruta possint elevari ad cognoscendum honestum, & inhonestum, & ad hoc liberè vel amplectendum, vel fugiendum, consequenter ad merendam gloriam. Quin ulterius vix erit ratio negandi potentiis inanimatis. e.g. lapidi aptitudinem passivam, & elevabilitatem supernaturalem ad cognoscendum, & amandum DEUM: quæ absurda utique admitteri non possunt.

219. Ob. 1. Job. c. 19. v. 26. *Et 27. dicit de se ipso: In carne mea videbo DEUM meum: quem visurus sum ego ipse, Et oculi mei conspiciuntur sunt: & iterum c. 42. v. 5. Auditui auris au-*

divite: nunc autem oculus meus videt te. Jacob Patriarcha Gen. 32. v. 30. ait: *Vidi DEUM facie ad faciem.* Maïas c. 6. v. 1. de se ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Baruch 3. v. 38. dicit de DEO. *Post hæc in terris visus est:* sed hæc Scripturæ testimonia probant DEUM videri oculis corporeis: ergo. Resp. neg. min. Textus hi, & alii similes, si qui adducantur, explicandi sunt aliquando de visione intellectuali, qua etiam Angeli dicuntur videre faciem Patris, sive DEI, etsi oculos corporeos non habeant: & quamvis aliqui SS. Patres Angelis etiam videantur tribuisse corpora, probabilius tamen est, non tribuisse verè talia, ut videbimus in *tract. de Angelis.* quod si etiam aliqui vera corpora iis tribuissent, cum aliis pluribus ab iis recederemus, quod verò Angeli videant faciem Patris, ipse Christus dixit, qui Angelis corpus non tribuit. Tali autem intellectuali visione DEUM speravit videre, vel etiam vidit Job in carne, non per carnem, sicut scilicet videbunt DEUM Beati in cælo post diem iudicii, & oculis mentis, quamvis intra corpus latentibus. Aliquando verò explicandi sunt textus de visione DEI non in seipso, sed in corporea specie, in qua apparuit, ut videtur cum vidisset Jacob, & Isaias: vel de DEO Homine, seu Christo, qui in sua humanitate (non autem in Divinitate) oculis corporeis visus est: & de hoc loquitur Baruch, qui ibidem addit: *Et cum hominibus conversatus est.*

220. Ob. 2. S. Augustinus l. 22. de civit. DEI c. 29. (ut refert etiam S. Thomas. 1. p. q. 12. a. 3.) docet, post resurrectionem corporum oculos glorificatos non tantum acutius visuros, sed vim talem habituros, ut videant etiam incorporea: sed sic possunt videre etiam DEUM: ergo. Resp. S. Thomas, S. Augustinum tantum eam questionem agitare, sed nihil decidere: & rectè; nam sub finem capituli sic habet: *Aut ergo per illos oculos sic videbitur DEUS, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive scripturarum testimoniis divinarum vel difficile, vel impossibile est ostendere: aut quod est ad intelligendum facilius, ita DEUS nobis erit notus, atque conspicuus, ut videatur spiritui à singulis nobis in singulis nobis.* Quando verò S. Aug. epist. 111. ad Fortunatianum, rogat hunc, ut se excuset alicui Episcopo, qui offensus fuerat in eo, quòd S. Augustinus negarit, DEUM oculis corporeis visibilem esse, ne scilicet DEUS corporeus esse crederetur: statim addit S. Doctor, idem negare SS. Ambrosium, Hieronymum, Nazianzenum, & Athanasium, unde hoc loco magis est pro nobis, quam contra nos; quamvis nec hic firmus in hac opinione videatur, ut patet ex tota epistola, in qua sub finem addit, se velle placidè audire Episcopum illum docentem, sed ab eodem etiam se debere placidè audiri inquirentem, id est, examinantem hanc questionem. vid. Vasquez in 1. p. disp. 40. c. 1.

221. Ob. 3. Ignis potest cruciare demones: ergo ens materiale est proportionatum enti spirituali. Resp. dist. conf. est proportionatum, seu habet potentiam obedientialem, ut eleveur ad physicè producendum aliquid in ente spirituali, vel etiam ad producendum ens spirituale. om. conf. est proportionatum ad id vitaliter, vel formaliter percipiendum. neg. conseq. Jam diximus: videre non est tantum producere visionem, sed est

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

formaliter, seu vitaliter percipere: hinc transmitto, quòd oculus corporeus possit supernaturaliter elevari ad physicè producendam visionem DEI, at non ad videndum DEUM. Sed & ignis non urit demones, sed ad summum in iis supernaturaliter producit aliquam qualitatem spirituales molestissimam instar adustionis. Neque etiam demones formaliter percipiunt calorem, nec formaliter uruntur; quia ipsi, utpote spiritus, sunt improporionati ad formaliter percipiendas qualitates purè materiales.

222. Ob. 4. Licet intellectus naturalis sit improporionatus objecto supernaturali e.g. DEO clarè in se videndo, ut suprà diximus, tamen potest supernaturaliter fieri proportionatus, & DEUM intuitivè videre: ergo à pari idem poterunt etiam oculi corporei. Resp. neg. conf. & paritatem. Objectum supernaturale superat quidem potentiam naturalem, sed non eodem modo, quo objectum spirituale potentiam materiale; nam, licet potentia naturalis non habeat proportionem adæquatam, seu completam ad attingendum objectum supernaturale, tamen habet inchoatam, & complebilem: at verò potentia materialis in ordine ad objectum spirituale nullam habet prorsus proportionem, nec inadæquatam, & complebilem. Neque in hac re tantum attendendus est excessus perfectionis (quia etiam minimum accidens spirituale, etiam naturale, non potest percipi à potentia materiali) sed attendi debet excessus proportionis, seu sphaeræ attingibilitatis, an nempe objectum habeat illam rationem formalem specificam, sub qua ab hac potentia possit attingi, quæ in casu nostro omnino deest.

ARTICULUS VI.

An sit possibilis, vel ad visionem beatificam necessaria species impressa DEI.

223. Species intellectualis aliud non est, nisi similitudo quædam objecti, per quam intellectus cognoscit objectum. Est autem duplex *Expressa*, & *Impressa*. Prior est ipsa representatio ab intellectu producta, per quam formaliter objectum intelligit: & vocari etiam solet *verbum mentis*, quod tamen ex communi nostrorum non est aliquid distinctum ab ipsa cognitione: unde species expressa creata realiter aliud non est, quam ipsa cognitio. Species autem impressa est quædam qualitas intellectui immixta, ex natura sua ordinata, ut cum intellectu ad producendam speciem expressam, seu cognitionem concurrat loco objecti, quod vel non potest, vel non vult per seipsum immediatè concurrere. Non malè quidam speciem impressam comparant sigillo, quod ceræ impressum efficit representationem insignium gentilitiorum: quam representationem expressam in cera comparant dein cognitioni, seu speciei expressæ.

224. Notandum tamen insuper, speciem impressam duplicem assignari, unam, quæ se habet tantum ut quo, ita, ut non habeat rationem ob-

F

cti,